~~1888. XII. 192~~

Loeaechius Andr.

1 ml

1/75

DECAS ANAGRAMMATVM.
In qua

ILL^{mi} D.D. R^{mi} PP.

ALBERTVS BARANOVIVS, Episcopus Plocen:
GEORGIVS STOBAEVS, Episcopus Louadinus.
IACOBVS LEMPICIVS, Abbas Vanchocien:
Cancellariæ Regens.
HIERONYMVS OSSOLINIVS, Abbas Pokrzywn:

R^{mi} DD.

FABIANVS CONOPACIVS, Decanus Posnaniensis: Canonicus Chelmensis: Pauli V. Pontificis Maximi Camerarius.

HENricus Firleius, Scholasticus Cracouiensis: Canonicus Sandomir: IOannes Crassinius, Cantor Craco: CAnonicus Gnesnensis. EVstachius VOlouicius, Præpositus tum Trocensis. &c. ANdreas Lipscius, Scholasticus Plocensis: Canonicus Cracoui:	S. R: M^{ti} à Secretis

Nicolaus Dobrocieuius, Canonicus Cracouiensis & Sandomiriensis.

HONORIS ERGO
Ab Andrea Lœæchio Scoto F.
IIsdemq; Xenij nomine D.

ALBERTVS BARANOVIVS.

Per Anagramma:

VERBA SVNT VAS LABORI.

AD EVNDEM.

QVod monet Hiſpani feſtiuum epigrāma Pöëtæ,
Victurus genium debet habere liber:
Antiſtes, de te, mihi fas ſit dicere; linguas
Vulgi etiam Patrum debet habere Labor.
Hactenus auguſto plauſu tibi ſcæna peracta,
Ne queat in mores dicere fama tuos,
Efficit: hand vllo viſus langueſcere probro;
Dum re, quod populus te vocat, eſſe cupis.
Dicis & attendis, cenſes quæ Præſule digna:
Vnus (vt exemplo rarus!) vtrumque facis.
Ad voces opera alma adhibes: SVNT VERBA LABORI
VAS certus. Fidei fructibus hiſce gregem
Commiſſum inſtituens, fugienda vt cernere poſsit,
Vitam, Alberte, tuam das ſpeculi eſſe loco.

GEORGIVS ΞTOBÆVS:

EGO VOBIS GRATVS. ES.

IDEM AD MVSAS.

De ſua in illas Gratitudine.

VEſtris, à puero quibus arctè corda Dicaui,
Quêis ſine mors vita hæc tota futura fuit:

En

En veluti Cereri debet seges, vua Lyæo,
Pastoresq; Pali, iure ita GRATVS EGO
Debeo nominibus, post Numina, munera sortis,
Aonides; VOBIS vestra libensq; fero.

MVSAE AD EVNDEM.
Arctissimo affectus nexu Suum.

Vná accepturus laudes, vnáq; daturus,
(Sortis ô auctrices ad sua dona vocans)
Non malè seruamus, Nobis quod alumne Dicâsti:
Nostrum etenim longum est, & sine fine decus.
ES NOBIS, vt ais, GRATVS. Nihil amplius opta,
Quàm vocet vt Phœbo turba sacrata Suum.

HIERONYMVS OSSOLINIVS
NIHIL NI SORS IOVIS MOVES.

AD EVNDEM.
De causa illum ad vitam religiosam amplectendam incitante.

Non ideo mundum applandentem Hieronyme lin-
Quòd votis vnquam defuit ille tuis: (quis,
Vis vixisse Deo; sic Nominis innuit omen.
Sors Iovis ipsa Moves: te cupit ille Nihil'
Sors Nisi; quâ longùm viuat post fata superstes,
Nactus perpetuos & sine morte dies.

IACOBVS LEMPICIVS:
Lvcem Opibvs Iacis.

AD EVNDEM.

 Magn

MAgne vir eloquio, eloquijq; parentis imago,
Doctorum nullo, nî Cicerone minor:
LVCEM OPIBVS IACIS, in diuini pectoris antrum
Quas infuderunt Numina ámica tibi.
Subiectas quantùm contendit Apollo per auras,
Eloquium tantùm peruolat ora tuum.
Aula istis indigna Opibus. Quid vana capeßsis?
Sceptra tuis meritis inferiora ferent.

FABIANVS CONOPACIVS:
NON VACAS OPIBVS. I FAC.
AD EVNDEM.
Paræneſis Encomiaſtica.

QVæ te naſcentem, Fabiane, excepit in vlnas,
Fouit & in caſto Calliopea ſinu,
Sic mihi quærenti de te confeſſa: (Rogabam
Quæ nuper, dea nunc commemorare iubet.)
Hic ego cui cecini, Concede ô Iuppiter annos!
Vt mea quæ magnis mens videt indicijs,
Adſpiciat Patria, atq; adeó caput orbis in illo,
Roma; & virtuti præmia digna ferat.
Non hunc ſegnicies pudibundam ducere vitam
Coget, & ætatis perdere luſtra domi.
Excolet ingenium impenſè: facundia ab annis
Hinc ſurget, magnos apta mouere Deos.
Verba habuere fidem. Diûum iam viſus alumnus
Vota ad ſemideos ore tuliſſe meus.

Cu

Cui meus ignotum est curas quàm spernat inanes?
Aut bona, quæ dubiâ sors dat habere manu?
Dixerat, & numeros Anagramma coëgit in istos:
(Nominis eia hilari fronte elementa lege.)
NON OPIBVS, Fabiane, VACAS; quas nemo beatus
Optat: sunt animo Sacra Deiq; tibi.
I FAC! vt aggressus, diûumq; merere fauores!
Hæc patet ad Sacros ianua sola Lares.

HENRICVS FIRLEIVS
Per Anagramma, demtâ aspiratione.
VIR NIL FVCI SERES.
Elogium eiusdem.

VNum Casimirum genuisse Polonia Sanctum,
Tuq; Stanislaos non numerare duos
Diceris, vrbs Craci. His similē at si quādo datura es,
Firleio hoc nomen Numina habere sinent.
Virtutem teneris porrò hic amplexus ab annis:
Cum puero creuit Relligionis amor.
In Themidos Sacris sunt lustra exacta iuuentæ;
Nec studio ætatem hanc deteriore terit.
Esto alter velet specioso tegmine fucum;
Est niue candidior mens sine fraude tibi.
Esto aures aliquis miseris qui auertere & ora
Sit solitus; patet ast auris & ora tibi.
Prodigus esto alter linguâ, cui dextera parca est;
Tu parcus linguâ, munificusq; manu.

Nemo tui ſimilem poſt te, Firleie, ſequentem
Exſpectat : te vnum viuere quiſque cupit.
Te longè; incolumem minus eſt præſtare Tonanti,
Quàm, poſt te, ad Patriæ reddere vota parem.
Cætera vel taceam, exigua hæc an portio laudis,
Quòd procul à Fuco nomen abeſſe ſonet?

IOANNES CRASSINIVS:
IO SENSVS IN ARCANIS.
Ad eundem.

I felix animi, procul ambitione remotâ,
Sarmata, quem Latio verba referta ſale
Demonſtrant SENSVS Ciceronis habere, probātq;
REBVS IN ARCANIS non ſine laude caput.
Optat adhuc maior grandæuus Apollo feraris,
Vt ſacro expurges ordine barbariem.
Te penes ô eſto tanti certaminis orſus!
Fas tibi ſit monſtrum hoc deijcere, vltor, humi.

EVSTACHIVS VOLOVICIVS:
OS SE, SVA, HVIC LVCI VOVET.
De eodem.

NOn ſtudet hic tantùm vitam traducere terris;
Non tantùm ignauæ viuere more feræ:
Non natus rebus dare corda æterna caducis;
Non colat vt flauas, numinis inſtar, opes;
SE LVCI OS VOVIT, neque iudicis ora paueſcit:
HVIC SVA ſtans Probitas ſuſpicione leuat.

Non

Non Momum metuit, non inuida fata saluti:
Securo vacua huic vita dat esse mali.

ANDREAS LIPSCIVS:
I LIS PARANS DECVS.

AD EVNDEM.
Laudatæ Litis Ratio.

Cur Litem Decus appellem te, Andrea, PArantē
Scire optas? Audi: noster Apollo canet.
Acria pro docto dum nomine bella capessis,
Non turpe est Litis nomen habere tibi.
Gignere dum Astręam patrijs contendis in oris,
Agnomen meritò Litis habere potes.
Barbaricâ hanc rabie toties dum voce tueris,
Fit tibi fas claro Litis honore frui.
I LIS ergo PArans Decvs. Hoc te Anagrāmate no-
Nomine longæuo posthuma secla ferant. (tum

NICOLAVS DOBROCIEVIVS:
COR NOBILE, VI DIS VOCANS.

Ad eundem.

NOBILE (ego aut fallor) mundi tibi fæcis inane est
VI terram à terris COR, Nicolae, VOCANS.
Sic est: DIS vocitas. Mutati ita nominis vltro
Quærenti exclamat syllaba sexta tui.
Hoc Suada affirmat, studium & sublime laborum,
Quo, dura vt, facilem reddis ad astra viam.

Seu dîæ Themidos reſeres, ſeu verba Tonantis,
Doctiùs humanâ conditione doces.

FINIS.

CRACOVIÆ.
In officina Ioannis Szelíga. A. D. 1605.